

*sacerdotali moderno ad antiquum habitum comparato, quid mystice significet, persequamur.* Sumta sunt haec e *Rabani L. I. de Institut. Clericor. a C. 14.* edit. *suprac. T. VI. p. 7.* sed hic succinctius repraesentata.

*Fol. 217.* iterum reditur ad *Glossas* et quidem in *Psalms*, in *Epistolam ad Hebraeos* et in *Apocalypsin*, ubi *C. 21. v. 8.* in voce *execratis* fititur, quin folium deperiisse videatur. In secunda hac Expositionis Parte, videlicet a *Libris Samuelis*, rarefcunt *Glossae Theotifcae*; invenias tamen *fol. 155.* imprecatio, maledictio, *Schelta. Fol. 172.* Ptifane *Fesin* alias *Spriiur. Fol. 182.* Fascinatio *Zouper &c.* Donec aliud edocear, Contenta hoc *Codice* ab ore *Rabani Mauri* dictantis a Discipulis excepta fuisse teneo.

LXV. VII. F. 4.

460 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 183. 4. eleganter exaratus, rubricis distinctus, olimque *Monasterij sancti floriani patav. Dyoc.* sequentia continet: *I. Glossas* seu Interpretationes difficiliorum Vocabulorum S. Scripturae non Alphabeti Ordine, sed Librorum, qui se hac ratione consequuntur: *Pentateuchus, Josue, Judicum, Regum, Prophetarum, Job, Salomon, Paralipomena, Esdras, Esther, Tobias, Judith, Machabaei, Evangelia, Actus, Epistolae Canonicae, Paulinae, Apocalypsis, et Psalterium.* Praeit Quaestio: *Quid primum in-*

*quirendum sit in Libro.* Ad quam respondetur: *Primum inquirendum est omnium Librorum tempus. Locus. Persona. Et quare non XII. evangelia recipiantur. nisi quatuor. quia videlicet totus mundus constat ex IIII elementis &c.* Futili huic rationi infistit pluribus Noster, sed nota, illius aevo non nisi XII. circumlata fuisse *Evangelia*, quorum numerus nunc, diversis saltem sub titulis, pene ad XL. adcrevit. Expositio porro illius non tantum ad sacros Libros, sed etiam ad *Hieronymi Praefationes* porrigitur. Ita ante *Genesin* explicatur: *Presagus. Pentateucus. Sintagma. Apocrypha. Hybaros. Nenias. Autenticos. Oconomicon. Xenophon. Karismata.* Dein *Geneseos* initium sic habet: *Bresith. hebraice. genesis grece. Latine generatio. Paradisus. est locus in orientis partibus constitutus. cuius uocabulum ex greco in latinum uertitur hortus. porro hebraice eden dicitur quod in nostra lingua interpretatur deliciae. quod utrumque iunctum facit hortum deliciarum &c.* Quibusdam Libris peculiare Tractatiunculae subjiciuntur, ut *Genesi De vita Ade, Exodo De habitacione israel,* videlicet in *Aegypto &c.* Plures Libri duplicem habent Commentariolum, quorum posterior semper inscribitur *Alia edicio.* Non indoctum fuisse oportet Glossatorem. Vestigia *Hieronymi, Isidori, Walafridi* legendo literae plerumque infistit, raro in mystica divertens; hebraicae tamen graecaeque linguae parum gnarus infeliciter saepe *ετυμολογίζει*, in quo, uti

uti et operis forma sequacem habuit *Job. Marchesinum* famosi *Mammetraſti* compilatorem.

II. fol. 81. absque titulo sequitur *Expositio Hymnorum* in officio ecclesiastico decantari solitorum. Initium Praeloquii: *Liber iste dicitur hymnorum. hymnus est laus dei cum cantico facta. Quatuor fuere principales actores qui hymnos composuere. Gregorius. Prudencius. Ambrosius. Sedulius. sed quidam uir prudens nomine Hilarius uidens eos multos composuisse hymnos. placuit ei multos in unum colligere et compendiosum opus facere &c.* Bona Commentatoris pace *Hilarius* iste, Episcopus videlicet *Pictav.* neque collegit unquam *Hymnos*, neque *Gregorii* saltem et *Sedulii* colligere potuit, quos multum aetate praecessit. Vide, si lubet, *Hist. Liter. Franc. T. I. P. 2. p. 180.* et *Celf. Gerberti T. I. de Cantu et Mus. sacra p. 80.* Opusculum nostrum in rudioris Cleri adiumentum Sec. XV. non semel typis prodiit, inscriptum *Expositio hymnorum cum notabili Commento.* Ita mihi objacet Editio *Quenteliana Colon. 1492. 4.* Verum Librarius noster laborem in *Hymno II. de Dedicatione Ecclesiae* abruptit his verbis: *qui cottidie speculantur gaudium eterni et sanctissimi regis. in utroque in duabus partibus gloria* —. *Hymnis* hisce, earumque *Expositioni* emendandae sub renascentium *Literarum* diluculum manus admoveere *Nostrates* strenui *Jac. Wimphelingius* et *Henr. Bebelius.*

III. fol. 105. *Incipit Liber differenciarum ysidori spalensis episcopi.* Initium: *Inter deum et dominum ita quidam diffinierunt, ut in dei appellatione patrem, in domini filium intelligerent.* In edit. *Paris. 1601.* Liber iste p. 291. *Secundus* inscribitur *de Differentiis* cum addito *spiritualibus*, sed ad ejus calcem in *Cod.* legitur: *Explicit. Liber. Primus. et mox: Incipit Liber Secundus differenciarum ysidori.* Hic porro *Liber* non est ille, qui in *Edit.* memorata p. 281. *de Differentiis Primus* praenotatur, sed ille, quem in *Edit. Madritana* anni 1599. repertum *Parisinus* Editor *Jac. Du Breul* p. tandem 741. sequi iussit. Praeit illum idem, quod in *Edit. Praeloquium: Ysidorus. Lectori salutem. Plerique ueterum sermonum differencias &c.* sed in ipsis *Differentiis* nullus ordo alphabeticus observatur, primaque est *inter Celum. etherem et etheram.* Ad sunt praeterea variae, quae in *Edit.* desiderantur, ut fol. 135. *Inter sompnum et soporem*, quin ipsa *Differentia ult.* quam adseribo: *Inter uenenatum, uenenosum et uenenarium. Venenata res est. in quam coniectum est uenenum ut potio. Venenosa in qua natum est. ut herba et serpens. Venenaria que facit uenenum ut mulier.* In utroque denique *Libro* non pauca ab *Editis* variant, Codicemque ad restituendum *Isidorum* genuinum commendant.

IV. fol. 136. *Liber synonimorum*, a secunda manu: *Ysidori ut videtur.* Certe non illorum

*Synonymorum*, five *Soliloquiorum*, quibus *Homo* et *Ratio* apud *Isidorum* concertant, sed *Isidorum* edidisse inter alia *Alphabetum Verbalium*, autor est *Lucas Tudenfis* in ejus *Vita* c. V. T. I. *Actor*. SS. *April.* p. 340. Quid igitur, si *Alphabetum* istud hic teneremus? Praeloquium tale est: *Collegi ea que pluribus modis dicerentur, quo uberior promptiorque esset oratio, quorum plerumque multo maior pars trahi in has omnes formas possit. ceterumque ueniet minime. Ac mirum erit, si pluribus locis eadem uerba legerentur, an quod memoria fugerit, an quod pluribus significationibus conueniant. Igitur per alphabetum initium capiamus.* Non abludunt haec ab *Isidori* stilo. Initium porro *Synonymorum* sic habet: *Abditum.* (idem ac) *opertum.* *Abconditum.* *Obscurum.* *Obumbratum.* *Obtusum.* *Lucum* (quid istud?) *Inuolutum.* *Coopertum.* *Tectum.* *Occultum.* *Adipiscitur.* (idem ac) *Consequitur.* *Nanciscitur.* *Possidet.* *Fruitur.* *Potitur.* *Ambicio* (idem ac) *gratia forensis.* *Blandicie.* *Popularitas* &c. Atque in hunc modum *Verbis* admixta sunt *Nomina* numero tamen minore, ita, ut denominatione a priori sumta *Index* hic semper *Alphabetum Verbalium* dici queat, quale ab *Isidoro* relictum supra memorauimus. Quid, quod valde credibile sit, eum, qui *Differentiis* *Vocum* *latinarum* indicandis operam locavit, etiam *Synonymiis* earum colligendis studuisse. Atqui in praesenti *Codice* *Synonymiae* pressa pede *Differentias* se-

quantur. *Mendis* ceterum non caret *Exemplar*, ut vel ex fine observes: *Zelus.* id est *Amor.* *Zelus.* *Inuidia.* *Zelotipus.* *Zolotipie.* *Zelotipo.*

V. fol. 145. *Gregorius* de prophetiis. Est *Homilia* I. seu *Praefatio* hujus *Doctoris* in *Ezechielem* *Prophetam*, ut legitur *Edit. Maur. Paris.* T. I. 1705. p. 1173. f. demta solummodo prima periodo. Unde nobis ita incipit: *Prophetie tempora tria sunt* &c. nec *mendis* caret.

VI. fol. 150. sequuntur *Συμμικτα* *facra* et *profana*, quorum *Rubricas* indicabo: *De quatuor Differentiis* *Scripturae.* *De veste Sacerdotis scissa.* *Quare dominus stans et non sedens in libro legerit.* *De Ancilla.* *De Vidua sareptana.* *De Naaman.* *De Antichristo*, qui *Nostro* *Barrabas* est. *De Daemoniaco.* *De Passione Domini.* *Augustinus* de *secreto incarnationis.* *Locus*, ut puto, *spurius*, qui incipit: *Inter cetera et ad* (hunc?) *locum lege cum timore caute et secrete.* *Veni ad me et dicam tibi quemadmodum uirgo concepit. et melius est ut in sermone sit uerecundia quam in fide pericula* &c. *De generatione Christi.* *De Nitro.* *Nomina trium magorum.* Sic: *Hec sunt nomina trium magorum de terra euilath qui Christo munera obtulerunt.* *Melchius.* *Caspar.* *Putizar.* *Melchius in capillis et barba canus erat. habens tunicam iacinthinam et pallio polimio indutus erat. ipse aurum obtulit Christo.* *Caspar iuuenis in barba rubicundus erat. ueste byssina indutus. ipse thus obtulit*

tulit Christo et digne eum adorauit. Putizar uel bassamar in capillis et barba (nondum facie) niger erat. habens tunicam rubeam. sago albo et uaria calciamenta. ipse mirram obtulit. — Tria uestimenta significant patrem et filium et spiritum sanctum. Notent haec Pictores. Deinceps de Rebus Romanorum, Magistratibus, Militia, Armis, Ludis, &c. maximam partem ex *Isidori Originibus*.

VII. fol. 157. *Expositiones diuersorum uocabulorum*. Libellus est *Fab. Planciadis Fulgentii* editus saepius cum *Non. Marcello*, et inter *Autores Ling. Lat.* a *Dion. Gothofredo n. 5.* *Genevae 1595.* 602. et 622. 4. Abest a Nostro *Epistolum* praevium, textus ipse non parum vitiis laborat. Initium: *Sandapilam dici uoluerunt antiqui feretrum mortuorum. i. loculum in quo non nobilem corpora. sed plebeiorum atque dampnatorum cadauera portabantur &c.* Deest in fine expositio τ& *Delenificus*, ejusque loco adtexta est Series Vocabulorum graecorum latine redditorum, puta: *Aposaticum. i. negatiuum. Catafaticum. i. Confirmatiuum &c.* et ipsa non parum deformata.

VIII. fol. 160. p. 2. *Expositiones Vocabulorum*. Congeries jam tardioris aevi *Catholicon Job. Januensis* et *Vocabularium Ex quo sapiens*. Initium: *Disippo componitur a prepositione dis. et a uerbo sapio sapis. i. spargo. quod descendit a nomine sapa. i. fossorium.* Non omnium tamen Vocum indicantur *Ετυμα*, saepe solus Vocabuli sig-

nificatus exponitur. Ita: *Palma tres habet significationes. Palma. i. manus extenta. palma est arbor cum foliis. palma est uictoria.* E uocabulo *Formadius* Italum habuissim *Compilatorem*, nisi jam Teutonice inspersa essent, id, quod in sequentibus *Indiculis* longe frequentius accidit. Hic legas: *Publico. i. proscribo. ich frone. Paruipendo. ich versmabe. Aditum vlezze. Aditus zuouart. Prouisor amman. Vendico ich aigene. Gerulus tragere. Suggero ich rate. Conuenio ich gespriche. uel dinge. uel anwirde. uel zesamene chume. Circumuenio ich betrwæge. Dica brief. uel sage gerwæne. Auleum umbehanch.*

IX. fol. 163. *Incipit Abecedarius*. Expositio Vocabulorum, sic dicta, quod ad Alphabeti praescriptum ordinata sit. Graeca hic latine, Latina teutonice explicantur. Delibemus quaepiam. *Ascia twerbacs. Anchora senchelstain. Arula gluthaven. Arioli Zouberare. Architektor techare. Apes pigin. Aries pbeterere. Albugo cincho. Aculeus gart. Brancon faux chouwæ. Bilinguis bisprechere. Bombus anschin. Bucilarius ochsnar. Blesus lispar.* Atque ita et reliquae Literae ad *Glossaria* nostra ditanda *συμβολην* suam conferunt.

X. fol. 170. p. 2. *Greca Nomina Domini*. Ita quidem Rubrica, sed per decursum multae aliae Voces hebraicae et graecae per latinas exponuntur, idque non raro aut Interpretis, aut Librarii culpa mendose. Sic: *Silev ebr. apostolus grece. missus latine. Aser ebr.*

*ebr. malcharius grece. beatus latine &c.* Nullus hic Materiae vel Alphabeti ordo. Rubricam Nominum priorum sequuntur Rubricae *De Ordinibus sacris. Quid sit Missa. De Diebus et De Vespera.*

XI. fol. 175. Codicem egregium terminat *Nomenclator latino-teutonicus*, cujus primum Titulos dabo. *De Liniamentis hominis. De Propinquis. De Vestibus. De Agri cultura. De instrumentis coquine. De uasis cellarii. De instrumentis textrine. De instrumentis calcificum. De Lectisternijs. De domibus. De stabulis. De cibarijs. De utensilibus selle*, intellige Equi-

De instrumentis Textrinae.

Gelu. *weppe.*  
 Stamen. *warf.*  
 Tramen. *wevel.*  
 Liciatorium. *weppebom.*  
 Licium. *harluf.*  
 Panus. *spuole.*  
 Pidonius. *strodel.*  
 Confertorium. *techsifen.*  
 Trama. *wintisen.*  
 Infubulis. *schartinge.*  
 Filamen. *garn.*  
 Subtemen. *wewel.*  
 Flemen. *masel.*  
 Colus. *reche.*  
 Lanipendium. *wolleroche.*  
 Tradula. *wollecham.*  
 Fufus. *spinnele.*  
 Verticulum. *anspin.*  
 Cerilla. *riste.*  
 Pensum. *wichel.*  
 Spinacium. *hachele.*  
 Glomer. *chlimelin.*

toriae. *De tentorijs. De artificio mulierum. De artificio fabrorum. De instrumentis nauium. De Armatura. De re rustica. De ornamentis ecclesie. Nomina Ciuitatum S. Scripturae. Nomina domorum. De Hospiciis. Nomina Librorum. De Figuris, grammat. et rhetoricis. De Animalibus. De uocibus ferarum. De Auibus. De garritu auium. Nomina piscium. Nomina Lignorum. Nomina herbarum et radicum. De Propinquis iterum. De condicione diuersa hominum. De variis utensilibus.* Dein Titulum unum alterumque in gratiam veteris Teutonismi Studioforum adscribam:

Nomina Piscium.

Efox. *buse.*  
 Squatus. *salme.*  
 Escorus uel Sumurus. *sture.*  
 Murena. *lantfrit.*  
 Lucius. *heched.*  
 Tincus. *tinke.*  
 Capedo. *caudin.*  
 Trita. *vorbe.*  
 Timallus. *asche.*  
 Allech. *berinck.*  
 Balena. *stige.*  
 Clauculus. *wize vische.*  
 Rubeta uel tinnus. *rote.*  
 Trutta. *vorbe.*  
 Mugil. *barbe.*  
 Anguilla. *ai.*  
 Millago. *nivnouge.*  
 Capito. *chape.*  
 Afforus. *pbrille.*  
 Saxatilis. *grundele.*  
 Ceruleus. *charphe.*  
 Dentix uel vibex. *waler.*  
 Phoca. *prachse.*

Erunt

Erunt fortasse, quos in hoc Specimine non *Teutonica* tantum, sed vel ipsa *Latina* advertent, quae una mecum optabunt, ut *Nomenclator* totus in usum publicum cedat.

## LXVI.

67 *nunc VI. B. 14*  
Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 118. f. per duas columnas literis minusculis exaratus et rubricatus continet *Enarrationes in Psalmos, in Actus Apostolorum, in Apocalypsin, in Epistolas Canonicas*. In Psalmos hoc est initium: *Beatus. Psalmus iste titulum non habet duplici ratione. quia proemium est. et prologus. et continet totam libri materiam. i. cristum totum. et membra. sponsum et sponsam. cristum et ecclesiam. et quia alibi titulus restat inquirendus et requirendus. &c.* Sic proceditur usque ad Psalmi CVIII. *Deus laudem meam &c. v. 21.* ubi sensu manente imperfecto finitur: *In Glo. nullis meritis operum precedentibus sed communicantibus neque enim angeli.*

Enarratio in *Actus Apostolorum* fol. 78. sic incipit: *Mandragore in portis nostris dederunt odorem suum. In ecclesiaste legitur quod funiculus triplex non de facili rumpitur &c.* Capitum nulla fit distinctio, finiturque in conciliatione Bedae et Rabani circa tempus martyrii Principum Apostolorum cum clausula: *Expliciunt actus apostolorum.* Tum statim

Fol. 83. p. 2. *Incipit apocalypsis.* Ingressus est: *Micheas erit iste.*  
*Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.*

*pax cum uenerit affrius. in terram uestram et quando calcauerit in domibus uestris &c.* Finis: *Alij habent. q. excommunicavi. et cristus mecum excommunicat.* Demum

Fol. 86. sub rubrica: *Canonicæ Epistole*, sequitur harum brevis expositio, cuius principium est: *Uidi et ecce candelabrum totum aureum. et lampas ejus super capud eius &c. Job. I. c. 5.* explicatur utrumque *testimonium*, coeleste tamen confuse, novo argumento, quam facile turbentur Librarij, ubi eadem voces repetendae sunt. Clausula est: *quia ipse est potens cui nichil resistit, et hoc ante omnia secula etc. Amen hoc est uere. Expliciunt canonicæ epistole.*

Autorem *Enarrationum in Psalmos Gilbertum Porretanum* Ep. Pictaviensem Sec. XII. scriptorem esse, ipsum earum initium evincit, quod habes etiam apud *Oudinum* T. II. p. 1286. ubi pluries *Misptae* citantur, uti et in *Bibl. sacra Lelongii* T. II. p. 911. Typis expressas unquam fuisse, non putem, neque id adeo dolendum. An vero reliquae etiam *Enarrationes Giberti* partus sint, quanquam tractandi ratio et stilus id suadere videantur, tacentibus *Henrico Gandav. Trithemio, Caveo, Oudino, Fabricio &c.* adferere non audeo. Fronti Codicis nostri adscriptum est: *Liber fratrum minorum in Winna.*

## LXVII. VII. B. 13

Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 176. f. nitide exaratus